

P V I S

1 6 1 8

ORATIONES

- I. D. Pelargi de Libro Vita Mystica.
- II. Salomonis Frenchi de Jesu Christo Redivivo.
- III. Georgii Czusii Descriptio Holsaticae seu Cimbricae Arvis.
- IV. Bernhartini Benifacii Miscellanea Hymnorum &c.
- V. Abrahami Sculteti Concio Secularis.
- VI. M. Caspari Bucheri Actus Oratorius.
- VII. Actus Inauguralis introductis in Gymnasium Gothicense Rectoris.
- VIII. M. Thomae Sagittarii Orationes Duae.
- IX. M. Laubani Oratio de Disciplina Scholastica.
- X. M. Bucheri Oratio de Sapientia Patris Dio.
- XI. Francisci Schwabii Oratio de Ebrietate et Temperantia.
- XII. Justi Lippii Oratio de Obitu Johannis Wilhelmi Ducis Saxoniae.
- XIII. M. Trajmi Schmidt Oratio memoriae Laubmani habita.
- XIV. M. Benedicti Anthonij Oratio Exequialis manib. Johannis Bernhartini.
- XV. Programma in funere Pauli Rüdigeri propositum.
- XVI. Programma sub funus Francisci Parovii propositum.
- XVII. Programma de Doctoratu Quatuor Theologorum.
- XVIII. Syllabus Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XIX. Praeceptoribus Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XX. Henrici Kitzschii Specimen Oratorium.
- XXI. Henrici Kitzschii Discursus Gemalis.
- XXII. Henrici Kitzschii Centuria Symbolon Chronologica.
- XXIII. De Stella Pergrina.
- XXIV. M. Benignus de Parelius

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECAE ACAD. FRIDERICIANAE  
 TESTAMENTO RELICTIS.

DA 1

22


XIII  
DE

PEREGRINA STELLA QVAE  
SVPERIORE ANNO PRIMVM  
APPARERE COEPIT,

*Clariss. Virorum Corn. Gemma Louaniensis Germani,  
& Guliel. Postelli Barentani Galli,*

*Ex Philosophiæ naturalis, mysticæq; Theologiæ pene-  
tralibus deprompta Iudicia.*





TOTIVS PHOENOMENI CATAS-  
TASIS ASTRONOMICA.



**N**OVVS hic phosphorus, (liceat verò sic propter apparentem similitudinem appellare) cœpit fulgere primū anno hoc à Christo nato 1572. nona Nouembris, die dominico vesperi, cū tamen obseruantibus proximum cœli locum die octauo, etiam sereno æthere non apparuerit. Eodem fere tempore accessit luna ad punctum signiferi, in quo deliquium passa est Iunio præcedente. stabat enim in 13. capric. vbi & Mars nunc circa horam 7. copulatur cum cap. drac. exactè, & Mars in 15. capr. Erat sub huius exordia Iupiter retrogr. stationarius in epicyclo (quod ad influxus potentiam ac diuturnitatē plurimum facit) in 21. Arietis non procul à cornibus eiusdem & triangulo, subsequente copula Iouis, Martis, Veneris, Lunæ, & cap. draconis. Illud insuper obserues moneo, quòd Venus in Libra, Mars in capr. cum Luna exactissimè omnes 4. in signis aut tropicis, aut æquinoct. Sol quoque à coniunct. Saturni defluens paulatim ad trigonum Iouis & limites Galaxiæ cum stellis in corde scorp̄i nat. Saturni & Martis.

Sed locus apparentis stellæ statim ab initio inter Cæphi sidus & Cassiopeæ latit. 52. gr. 40. minut. longit. 6. gr. 30. min. tauri exactè consistit, vbi sese decussatim interfecant limbus borealior galaxiæ, & colurus æquinoctij verni. Est autem hæc via lactea ceu cœli caminus quispiam, atque exhalationū perpetuus fomes, de quo physici plura, & ad huc sub iudice lis est.

Porro cū tribus insignioribus stellis Cassiopeæ in lūbis vna, altera in pectore, tertia in cathedra constituit rhombū elegantissimum laterū prope æqualium, sic vt ex angulis 4. ductæ lineæ κατὰ χάσμον crucis imaginem

forment ad angulos rectos: qualis profecto species vix  
vsquam in alio sidere reperitur. Obserua interim stel-  
lam hanc nouam velut in summo figuræ vertice consti-  
tutam.

Præterea videmus illam hæcenus in recta ferè linea  
cum insigniore in lumbis Cassiop. cum Persei clara at-  
que Pleiadibus: rursū ex altera parte cum stella polari,  
& ea quæ est in natibus vrsæ maioris. declinatio illius  
ab æquatore & distantia à principio arietis siue æquin.  
verno 60. gr. 40. min. id est per sextantem ferè circuli, si-  
ue aspectum sextilem. à polo distantia 30. gr. 40. minut. à  
stella polari propemodum 23. gr. 48. minut. à Ioue 55. gr.  
39. minut. à natibus Cassiop. 4. gr. 28. minut. à cathedra 4.  
gr. 40. min. à clara in summo humero vel dorso Cassio.  
6. gr. 58. min. vt per radium astronomicum tentanti faci-  
le liquet.

Fulgor eiusdem facis præ cæteris stellis admirandus,  
superat enim & Sirius & Procyona & Ionem omnes-  
que cæteras procul dubio tum fixas tum erraticas stel-  
las splendore lucis ac magnitudine, vt prorsus cæcuti-  
re ad apertissimam lucem censeas eos, qui vel admoniti  
hanc non nouam existimant esse. Mirum certè prius  
vulgo & rudioribus animis quàm viris philosophis at-  
que etiam in arte versatissimis patuisse. Hoc illud est  
arbitror, quod nimium sibi tribuens humana ratio, in-  
tellectui detrahit, vt vix quicquam supra consuetudinē  
rerum & naturæ iura concedat.

Videtur ex lucis specie naturam pariter & Iouis, & So-  
lis præ se ferre, fortasse nō nihil & ipsius Martis. est enim  
lætissimus radij fulgor, ex illo argenteo colore fulue-  
scens ac penè subrutilans. quod quidē temperamenti  
genus, si cum figura reliqua, totoq; systemate compare-  
tur: licebit forsitan, sed sub idæa duntaxat vniuersali, ac  
velut adiūcta hypothesi (quæ pro recipientis materiæ  
sinu

finu ac præparatione diuersa est) de euentus tum specie  
tum qualitate paululum coniectari. Duplex enim Ad-  
raſtiæ lex à philoſophis memoratur. Sed ne quid vltra,  
quàm homini fas eſt, nobis ſat fuerit altius cogitandi  
viam vel ſolo digito commonſtraſſe, prognofin alijs re-  
licturi.

Per 3. ferè ſeptimanas hætenus (quod mirum maxi-  
mè puto) loco non eſt digreſſa, quantum obſeruare po-  
tuimus. Eadem vero analogia ad ſtellas reliquas fixas  
impulſu primi mobilis, circa polos paruum quotidie  
circulum exarauit, attingens Meridianum hora octaua  
20. minut. plus minus, non procul à vertice latitudinis  
noſtræ. diſtat enim 9. gr. fere. Vnde & ſeptentrionali-  
bus locis magis incumbit. Cum eadem fere culmen at-  
tingit ala Pegafi, & caput Caſſiopeæ, & corpus Andro-  
medæ, & cauda cæti &c. exactiſſimè vero ſtella polaris.  
quare ad hanc illius ſedem figura vniuerſa meritò de-  
ſcribenda eſt, ſiquis naturalibus volet aut mathemati-  
cis rebus cauſas metaphyſicas coaptare: quod tamen  
quantū perſæpe vanitatis obtineat, aliorū eſto iudiciū.

Multa in hoc prodigio ſuperant mortalium fidem.  
Nam primo, vel quid ſit, dicere non admodum prom-  
ptum eſt. Stellam vero ſi quis aſſerat, non phyſicis tan-  
tum, ſed & mathematicis demonſtrationibus & obſer-  
uatis hætenus conuincetur. Hoc enim duntaxat nobis  
aperiant, quo ſydere quam conſtituat cœli partem. nã  
& ſolite omnes apparent, & nulla accedit noua, cū cœli  
natura ſit ingenerabilis, incorruptibilis: ſtella autē pars  
cœli plane conſimilis rationis. Videtur tamē quia ſcin-  
tillat materie tam ſtabili permanente, planetis cæteris  
quoque ſuperior. Minus multò cometen aut exhala-  
tionem quampiam eſſe docebis. Nam quando vſpiam  
cometæ ſpecies iſtiusmodi viſa eſt? quin omnes aut co-  
mam aut barbam, aut gladium, aut haſtam, aut tubam,

aut cornu, aut clypeum, aut formam alicuius Pyramidis exhiberent? Nisi solarem velis, quem Rosam obseruatores veteres nuncuparunt. Sed vbi humana facies? Vbi capilli? Vbi purpureus color? Vbi motus ille inæqualis, qui exhalationes accensas lege naturæ perpetua comitatur? Est autem aspectus cometarū subtristis sēper, atq; minacior, nunquā scintillans, malorū nō tam signū quàm causa efficiens, dū raptus in sublimē ætheris regionem à Sole accenditur, hac illac impulsus inæqualiter, caudāq; iaciēs illi semper oppositā secundū lineam rectam. Vnde & morbos Epidemicos aere iam inflāmato, & cathenatim insanos regum ac populorū concitat æstus, vt physici voluerunt. De hoc portento idem sentire non audeo. nam & alia species, alia longè materies. fortasse & caussa efficiens proxima latet.

Quicquid itaque fuerit, seu fax naturæ legibus parta siue prodromus quispiam atq; lychnuchus alterius aduentus Domini, hanc speciem lucis indutus & mundi cardines vtrinque concutiens (nihil assero) magnum videtur, quod præsignificat, totumque supra naturæ leges ac præ portentis cæteris celebrandum. Semel duntaxat similem visam monumenta historica prodiderūt sub natiuitatem scilicet Domini Saluatoris, quæ salutem orbi partam testata est olim Regibus tribus. Faxit omnipotens genitor, vt nūc simili ferè prodigio mutationem quoque consimilem in nobis, & nostris omnibus experiamur, vt positis affectibus prauis, fastu, libidine, auaritia, crudelitate &c. nos ipsi in Christo & Christus in nobis sub sui natalis circuitum renascatur: discussisque suorum lachrymis, pacem & <sup>amnistiam</sup> præstet noctem hanc obscurissimam luce iucundissima, calicē furoris sui dolio pleno gratiæ, mustoque benignitatis suæ repente commutet.

Alterum non minus stupendum, quod in pari ferè recessu.

*in hoc go  
p cor*



cessu Iupiter à principio Arietis, & nouum hoc sidus à poli stella reperiatur ac rursus in pari propemodum altitudine ab ecliptica atque est latitudo nostræ regionis 52. gr. scilicet. Maximum verò, quòd sit in præcipuo puncto totius cœli, in contactu & nodo Galaxiæ circuli, & coluri, qui per æquinoctium veris incedit, idest per principia Arietis & Libræ dirimens dextram cœli partem à sinistra non minus quàm æquator superius hemisphærium ab inferiore, & leges tum humanæ, tum diuinæ rectum ab obliquo, errorum tenebras à veritatis ac iusticiæ luce distinguunt. Credibile est itaque totam spectare ad axim & cardines mundi, cum ad illos habeat exactissimam symmetriam. Fiunt autem & rerum maximæ metamorphoses Sole ingrediente principium Arietis vel æquinoctium vernum sub 11. Martij: quo tempore vel Hipp. teste agitantur humores, & spiritus vniuersi, vnaque cum ipsis partes singulæ mundi minoris atque maioris. Eodem puncto totius orbis prima fuisse cunabula omnes philosophi suspicantur.

*Non alios prima crescentis origine mundi*

*Illuxisse dies, aliūmue habuisse tenorem*

*Crediderim. Ver illuderat. Ex Georg. 2.*

Quare & ex illo antiquitus rectè annorum circuitus numerabant. Siquis autem diligenter obseruet in astronomico globo, stella hæc adamussim ab æquinoctij puncto distat gradibus 60. idest per sextilem radium, à quinto Capricorni per quadrantem.

Plura qui volet, rem superstitiosè potius quam vtiliter quærens, is & Eclipsim præcedentem & cometem anni 1559. & chasmata cœlo visa sæpius cum portentis alijs infinitis ad statum præsentem compareret. Idem quid Sol promittat (si qua hîc naturalibus fides) ingressu suo in proximum ver in Arietem & Taurū dodecat. Martio & Aprili mensib. præsertim accedente paulatim

memorabili quadā oppositione Sat. Iouis circa pleia-  
dum sydus mense Iunij, quæ bis repetitur postea Nouē-  
bris mense 1573 item Aprilis 1574. cum admirandis alijs  
syderum syzygijs ad locum stellæ analogis: hinc enim  
initia forsan, virium progressus &c. quanquam quod ad  
portenti speciem, mensuram, vel modum, pondus, & tē-  
pora, solus ille prudēs futuri temporis exitum, caligino-  
sa nocte premat Deus: Ridetque si mortalis vltra fas  
trepidet.

Scripsi hæc equidem non alio scopo, quam ne tan-  
tum diuinæ prouidentia munus vlla deinceps posteri-  
tas conticescat. quod enim ad ipsius gloriam spectat,  
cælare nefas existimo. Mortales cæteros id paucis ad-  
monitos velim, vt in cœlum sublatis oculis animisque  
quisque se paret: & sortem præsentem æquo animo fe-  
rat. Cùm enim fortuna temporis nostri ad normam  
Excētricitatis Solis iā ppe ad parui sui circuli perigeon  
sit deuoluta, videtur eadem rursus ad augem vel Apo-  
gæum conuerso circuitu adspirare: si nobis ipsis nō de-  
fuerimus atque vt met<sup>9</sup> in summa abside, ita & Spes in  
ima diuinitus collocata est. Nihil autem in hac vita præ-  
stantius duxi, inter Fortunæ vtriusque remedia à rebus  
naturæ sumpta, quàm sit illa de rerum humana-  
rum vicissitudine frequens cogitatio. quia

vt inquit Soph. in Aiace: *ὅκ' αὐτὸς*

*αἰὲς δαυμόνων τὸ γασαίει.*

DE NOVA STELLA QVAE  
IAM A XII. DIE NOVEMBRIS  
ANNI M. D. LXXII.

*Ad xxvi. Iunij, anni 1573. sine parallaxi vlla in eodem  
statu, excepta magnitudine durat, signumq; cru-  
cis, cum tribus Cassiopeæ stellis rhombi  
instar exprimit:*

GVL. POSTELLI IVDICIUM.



Nihil addens ad ea, quæ à Corn. Gem-  
ma Frisio, aut à Hieronymo Nugno-  
sio Hispano sunt de loco huius noui  
syderis notata, solum Historiæ verita-  
tem attingam.

Politię Aethiopicę figuram, sub Cas-  
siopeæ nomine (quam Græci Cretenses, mutuati à Cy-  
renaicis siderũ doctrinam, corrupta appellatione Cas-  
siopeam dixere, Cephei vxorem, Andromedæ matrem)  
ab Aethiopibus inter imagines cœli positam fuisse di-  
co. Præstantissimos certè & in Astronomicis, & in Pri-  
sca Theologia (quam posteritas Orphicam, aut Mythi-  
cam dixit) maximè verò in vtraque Magia, Aethiopes  
fuisse constat. Nam Adami libros rituales Magiæ natu-  
ralis Chamus Noachi F. Iapeti magni primi que frater  
ex arca furatus dedit Chusso primogenito, quos hic Mi-  
zraimo seu Aegypto, multoq; magis Nimrodo, qui pro-  
pter eos ipsos venator potens factus est, communica-  
uit. A Chusso autem Chussij seu Chussiopes, id est, ni-  
gra facie gentes (Hoph. n. seu Aph in lingua sancta fa-  
ciem significat) à Græcis ea de causa Aethiopes dicti, or-  
tum suum traxere. Id quod & Diuino & Naturali &  
Cœlecti ratione probari potest: Chus siquidem, vt ap-

pellatium & proprium nomen est, quemadmodum  
etiam Adami, & Filium primogenitum Chami signifi-  
cat, & posteros eius, partim Aethiopes corpore nigro,  
partim quosuis alios, tum maximè principes, non tam  
corpore, quàm animo nigros, qualis erat Saulus iuxta  
Dauidem, Psalmo septimo: in quos vel Lyrici illud qua-  
drat, Hic niger est, hunc tu Romane caueo. Natura li-  
cet in Chamia siue Chamesia, quæ Africa est, eodem so-  
le vtatur quo in Athlantide seu Nouo orbe aut Ophir  
vtitur, in Africa tamen omnes ferè nigerrima cute per-  
sonas facit, nullas autem tales in Athlātide. Quod ipsū  
fatis arguit, nigredinem hanc externam non solis æstu  
aut regionis intemperie Aethiopibus impressam esse,  
sed maledictionis in Chamum irrisorē filium à Noa-  
cho pronunciatae notam extitisse. Nam & coelum &  
Naturalis ratio conueniunt. Quum omnes priscorum  
Regnorum Inaugurationes fierent Arietis (quem Galli  
aptè Bellier, quasi bellatoriū signū vocāt) vellere aureo  
(vnde locus fabulæ) super Horizontem ascendente: Se-  
ptē Planetarum idoneo congressu, vel situ, ad stellarū  
fixarum perpetuum statum, accomodato, contingit il-  
lis, qui in media Aethiopia sunt, habere vtrunque po-  
lum in Horizonte, dum nigrorum hominum Regnum  
seu Cassiopea Respub. cuicunq; tandem regi subijcia-  
tur, inauguratur. Inter stellas enim clariores, quæ super  
Horizontē veniunt, oriente Ariete (vbi nūc sunt Pisces  
ad viginti septē vsq; gradus propellēdo anteriores.) pri-  
ma apparet Cassiopeia, Cephei regis vxor. Postea Ce-  
pheus, qui petra & basis Regni erat. Et vt tota historia  
Aethiopica in vna vicinia collocaretur, paulò longius  
à polo ipse Perseus liberator successoris filia Androme-  
dæ, & ipsa Andromeda in imaginib. coniunguntur. Cū  
igitur Chamo sorte Africa obtigisset, in eius medio re-  
gni sede constituta filij sedē inaugurare voluit, oriente  
Ariete

Ariete, seu Aequinoctio verno, sub Cassiopeiæ sidere, quod  
 quidē in recta sphaera habitanti videatur clarissimo, unde regni Aethiopici, per duo annorum millia successio, &  
 Magiē etiā, ppagatio, quoniā satā ibi potētissimē trāsi-  
 gurat<sup>9</sup> colebat, quo nomine Homer<sup>9</sup> ad *ἀμύμονας αἰθιοπίας*  
 Deos conuiuatū abire finxit. Dico itaq; Cassiopeiē esse  
 nunc adnatā nouam Stellā, ad denotandā insignē mu-  
 tationem, hoc est, cladē regni veteris, & noui renouatio-  
 nē. Impius Chamus & Parris & fratrum & Dei ipsius con-  
 temptor, intra archā diluuij cū vxore rem habuisse pro-  
 ditur à secretioris Theologiē scriptorib. vt hac fraude  
 primogenituræ ius, quoad sacerdotiū atq; regnū, filio  
 suo ex nefario illo cōcubitu nascituro astrueret. Atq; vt  
 voto eius euētus respondit, adeoq; & Gomerū Iapeti &  
 Elamum Semi primogenitum præuenit: ita è patre ani-  
 ma nigerrimo, hoc est, scelestissimo, & ex matre corpo-  
 re licet albicante, Chus natus est, qui & paternæ nigre-  
 dinis internæ, externam notam ineluibilem in sua cute  
 habuit, & eandem nigredinem hoc est, improbitatē ty-  
 rannide sua imitatus est. Proinde quoad corpus similes  
 sibi nigredine filios prorulit Chusiiopes siue Aethio-  
 pes: ita etiam quoad animum versipelles & impios ho-  
 mines imitatores habuit, qui regni causa ius fasq; om-  
 ne & diuinum, & humanum labefactare nō verentur.  
 Inter quos Nemrod siue Nimrod primus fuit, qui inter  
 quatuor Monarchias Deo repugnantes, piosque perse-  
 quentes, primam in Babylonia constitueret. Quarum  
 quidem Monarchiarum vnus statuae imagine expressa  
 rum caput cū fuerit aureū, certū est Romanū imperiū  
 eiusdem esse terreos, seu partim fictiles, partim ferreos  
 pedes, quos lapis abscissus de monte sine manibus, post  
 quā diutissimē in contemptū Dei adoleuerit, conteret.  
 Dico itaq; ne quis me ambiguē loq; putet, stellā in Ae-  
 thiopica sede natā, esse secūdi, hoc est, ei<sup>9</sup> qui intra nos

799

fit aduentus stellam, sonus Christi Iesu, qui nunc per spiritus sancti cooperationem, quem qui non accepit, Christi non est, sua membra excitat pro Iapeti Gomerico iure in Gallia quondam toto in mundo sparsa, posito cognitoque asserendo. Et utinam ipsi Helueti, qui ab aliquot authoribus inter octoginta Gallorum Respublicas non postremo loco collocantur, cogitent de hac re: dum illufores occidui nostro tempore ludunt dormiuntque, aut quod est maximum eorum opus, cum Nero venantur, dicentes in corde suo, Non est Deus.

Hoc iudicium nostrum, Numerus septem transactarum maximarum Coeli coniunctionum & excitat & confirmat. Nam paulo plus, vel minus septingentis nonaginta nouem annis ab Adamo, raptus Enoch fecit primae coniunctionis magnum signum. Noachus in Diluuium secundum Dardanum fundator Dardaniae, ex Italia (que tunc adhuc Gallia aut Celtica erat usque ad Romulum) in Phrygiam profectus: item Moses cum sexcentis milibus hominum ex Aegypto egressus in Syriam, fecit Tertiae coniunctionis Catastrophem. Quartae autem partim decem tribus Israel abductae ex Terra sancta in Persidem, & hinc usque in Terram Arzareth (que in Aquilonari parte est extreme Asiae, ubi in hanc usque diem Gauthicae & Tartaricae gentis seminarium faciunt) partim sexcenta milla hominum e Gallia nostra quadripartita a Bethogygum seu Bithurigum rege (per octoginta prouinciarum populos tunc ad nutum eligi solito) in Italiam & Gallograciam missa. Quinta finem accepit veniente Christo, Augusti temporibus, per Iudaei regni destructionem rege Iudeorum a Gentilibus recepto. Sextae finem imposuit Carolus Magnus, quando Gallicanae gentis aere viribusque Saxones & Mauros, Gauthainosque populos qui in Longobardos mutati erant, superauit & Graeco Romaenum Constantino Poleos

leos Imperium in occidentem transtulit. Nunc autem  
quum sit septima coniunctio vix tredecim annis diffe-  
rens à sua Periodo, sabbathum profectò Naturæ faciet,  
summoperè Impiis formidandum. Et ideò stella noua  
nos admonet rerum planè admirandarum, Nigris ete-  
nim animabus imminet reuolutio, ita vt aut illæ sint,  
quatenus Sanctis imperare volunt, funditus ruituræ,  
aut propter eas vniuersum. Nam & in verum signum  
Arietis, quod nunc à Piscibus occupatur, & in Taurum  
vbi Arietis stellæ nunc stant, ad Hyadum penè naturā  
inclinando, præfagit noui Regni in locum præcedentiū,  
substitutionem. Iudæi (quum nunc verè sit quinquies  
millesimus, quingētesimus septuagesimus tertius crea-  
ti mundi annus) asserunt, licet falsò supputent, in ducē-  
tesimo Cyclosolari, in quo iam à Millesimo quingente-  
simo sexagesimo salutis anno sumus, immortalē Mes-  
siam, vt sibi falsò fingunt, summas facturum mutatio-  
nes. Zohar opus à nobis Latinè versum, ponit præsen-  
tis Mundi terminum, dum senarius in Millenario, & in  
Cētenario, & in Decade & in Vnitate in Esse fuerit: quī  
fuit Quinquies Millesimus, quingentesimus sexagesi-  
mus sextus Mundi, aut Millesimus quingentesimus se-  
xagesimus sextus salutis annus. Nam quod Apocalyp-  
sis habet, Tempus, Tempora & Dimidium temporis  
fore à promissione Messiae contra serpentem Gen. 3. fa-  
cta, vsque ad veri Templi restitutionem: Tempus qui-  
dem intelligere videtur mille sexcentos quinquaginta  
sex annos vsque ad Diluuium: Tempora duo, Vnum le-  
gis, Mille quingentorum quadraginta septem, & alte-  
rum Euangelij, totidem annorum: denique Dimidium  
temporis primi, octingentos scilicet annos. Quam sum-  
mam si colligas, quinquies mille, quingenti, quinqu-  
aginta anni prodeunt à condito mundo ad nostra vsque  
tempora, cum CHRISTVS INTRA nos habi-

*Es ist sich  
mit dem g. 1. 1. 1.  
wahr also an  
gottlos. mit  
für sich*



tate cæperit. Adstipulatur his Elię sententiã, Bis mille  
annis Tohu, bis mille Lex, & bis mille Christus. Cumq;  
Mille anni sint, vt dies vnus, nunc certè erimus in Sab-  
bathi vigilia, hora ferè tertia sextæ diei post meridiem,  
quando creatus est Adam, & passus Christus. In summa  
Hoc signum crucis erit in cœlo, dum Dominus ad lu-  
dicandum venerit. Intra nos autem oportet venire, vt  
Actuum tertio videtur, ad tempus Restitutionis omniũ  
vt feriò & non solis verbis Euangelici viri reperiantur  
priusquam ad vltimum iudicium veniat visibili corpo-  
re, etiam Angelis tunc formidabilis. Certè vocabulum  
Ꝛꝛ. Ketz. quo in Genesis cap. 6. versu 13. vsus est Moses  
pro fine excisorio mundi in Daniele duodecim vicibus  
non frustra repetitum est, quum de centum nonaginta  
Cyclorum Solarium termino ad excidium corrupti  
mundi agit. Sunt autem quinquies mille trecenti vi-  
ginti anni, qui cum falsa supputatione ducentorũ anno-  
rũ (minus verò contra Christũ) anno Millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo sunt terminati: sumus enim in  
anno decimo tertio Cycli ducētesimi. Hęc ad summo-  
rum Astronomorum de nouo isto sidere obseruatio-  
nes addere placuit, ad vnus Dei Opt. Max. Amo-  
rem, Timorem, Laudemq; in toto genere  
humano, quantum in nobis est, ex-  
citandum & instau-  
randum.

ΑΥΤΑΡΚΗΣ Ο' ΑΥΤΑΡΝΗΣ.











Fc 1253

ULB Halle 3  
001 852 930





sb.

MC

W 17








B.I.G.

Farbkarte #13

XXIII  
DE  
PEREGRINA STELLA QVAE  
SVPERIORE ANNO PRIMVM  
APPARERE COEPIT,

*Clariss. Virorum Corn. Gemma Louaniensis Germani,  
& Guliel. Postelli Barentani Galli,*

Ex Philosophiæ naturalis, mysticæq; Theologiæ penetralibus deprompta Iudicia.



22